



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Micrologvs|| De Ecclesiasticis|| Observationibvs.||

Bernoldus <Constantiensis>

Antverpiæ, 1565

18. De panis fractione & communicatione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63426)

cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum, ad designandum corporis & animæ coniunctionem in resurrectione Christi. Alteram verò ipse Presbyter necessario sumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam institutionem. Tertiam autem comunicaturis siue infirmis necessario dimittit, nec hoc utique sine certa causa mysterij. Tripliciter enim corpus Domini intelligitur, vnum quod resurrexit à mortuis quod significat particula in sanguinem missa: Aliud quod adhuc vivit in terra, significatum per particulam à sacerdote cōsumptam: Tertium, quod iam requiescit in Christo, quod & à tertia particula in altari seruata aptè figuratur, quam viaticum morientium appellare solemus.

Tertia pars Hostie comunicaturis aut infirmis reseruebatur olim.

De Panis fractione & communicatione,

CAP. XVIII.

POST immisionem autem panis in calicem iuxta Romanum ordinem dicit sacerdos sub silentio; Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Beatus Innocentius Papa in ordine quadragesimus quintus, confi-

constituit, pacem dari post cōfectionem
 sacramentorum. Cū pacem damus,
 dicere solemus, Pax tecum, Et cum spi-
 ritu tuo. Congruè autem pax datur an-
 te communionem, quia iudicium sibi
 manducat & bibit, quicumque non pri-
 us fratri suo repacificatus communica-
 re præsumpserit. Sergius Papa in ordi-
 ne octogesimus sextus constituit, vt in
 tempore fractionis Dominici corporis,
 Agnus Dei à clero & populo decante-
 tur. Videlicet vt ille nobis propicietur
 cuius corpus ibi confringi videmus & cre-
 dimus. Facta autem confractione de-
 bent omnes communicare interim, cū
 & Antiphona cantatur quæ de commu-
 nione nomen mutuauit, cui & psalmus
 subiungendus est cum, Gloria patri, si ne-
 cesse fuerit. Sciendum autem eandē An-
 tiphonom, semper eundem psalmum cū
 introitu habere, si non habeat proprium
 de quo sumpta videatur. Orationem
 quam inclinati dicimus, antequam com-
 municemus, non ex ordine sed ex religio-
 forū traditione habemus scilicet [hanc:]
 Domine Iesu Christe qui ex voluntate
 Patris. Itē & illud, Corpus & sanguis Do-
 mini

Pacem dari cō-
 stituit Innocen-
 tius Papa pri-
 mus. Antea ve-
 rò apud Græ-
 cos iam olim
 id vsitatu.
 1. Cor. 11.

Sergius Papa
 Agnus dei can-
 tari instituit.

Priuarū Ora-
tionum breui-
tati studendum
in Missa,

mini nostri Iesu Christi, quod dicimus cum alijs Eucharistiā distribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidam ad pacem & communionem priuatim frequentant, sed diligentiores antiquiorum traditionum obseruatores, nos in huiusmodi priuatis orationibus breuitati studere docuerunt, potiusque publicis precibus in officio Missæ occupari uoluerunt. Nam beatus Innocentius Papa scribens sancto Augustino & Aurelio Episcopo, asserit quod nos plus communibus & publicis quā singularibus & priuatis orationibus proficere poterimus.

De uitanda intinctione,

CAP. XIX.

NON est autem autenticū quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, quia & in parascue uinū non cōsecratum cum Dominica oratione & Dominici corporis immisione iubet consecrare, ut populus plenè possit cōmunicare. Quod utique superfluo præcipere,